



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

Complectens ea quæ ad Sacramenta & mores pertinent

**Abelly, Louis**

**Coloniæ Agrippinæ, 1659**

VII. Quis sit numerus, & quæ necessitas Sacramentorum nouæ legis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38979**

iterari non posse, alia verò quatuor iterari posse aperte demonstrat: cuius quidem discriminis alia sufficiens causa afferri non potest, nisi quòd tria illa imprimant characterem, reliqua verò non imprimant, ut fuse probat Bellarminus. l. 2. de Sacram. c. 22.

Quarunt Theologi quid sit propriè character ille Sacramentalis? Omnis varijs super hac re doctorum sententijs, omnium probabilissimè loquuntur illi, qui juxta doctrinam S. Thomæ q. 63. a. 2. & 3. asserunt characterem illum esse qualitatem quãdam spiritualem supernaturalem quæ tria præsertim efficit in anima cui imprimitur. Primum est, quòd conferat quandam potestatem spiritualem ad ea peragenda quæ ad cultum divinum spectant. quæ quidem potestas est vel passiva ut in Baptismo, per cuius characterem redditur homo idoneus ad alia Sacramenta licitè & validè suscipienda; vel activa ut in Ordine & Confirmatione: per Ordinem enim efficitur homo idoneus ad Sacramenta alijs ministranda; per Confirmationem verò ad fidem profitendam. Secundum est, quòd hominem Christo Domino configuret, à quo tanquam summo sacerdote derivatur omnis potestas spiritalis; & ideo, qui characterè aliquo Sacramentali insigniti sunt, Christo Domino similiores efficiuntur præ alijs, qui simili characterè non sunt insigniti. Tertium deniq; est, quòd consignet hominem, eumque ab alijs secernat, qui ejusmodi characterem non receperunt; ita ut (verbi gratia) illi qui characterè sacerdotali præditi sunt, quovis in loco vel statu reperiantur, per totam aeternitatem uttales agnosci poterunt & ab alijs distinguantur: quæ omnia fusius explicata apud eundem Bellarminum c. 19. videri possunt.

## SECTIO VII.

*Quis sit numerus, & qua necessitas Sacramentorum nova legis.*

CERTVM est ex fide septem esse Sacramenta novæ legis, nec plura nec pauciora; scilicet Baptismum, Con-



Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam  
Unctionem, Ordinem, & Matrimonium. Ita expresse defi-  
nitum habetur in Concil. Florent. in decret. Eug. & in  
Concil. Tridentino sess. 7. can. 1.

Plura nullus unquam hæreticus agnovit, pauciora mul-  
ti præsertim recentiores, qui, cum in eo solummodo inter  
se conveniant quòd veritati adversentur, circa ipsorum  
tamen Sacramentorum numerum maximè ab invicem  
discrepant, & distrahuntur in varios & multiplices errores.  
Alii siquidem unum tantummodo Sacramentum esse  
contendunt: alij duo; alij tria recipiunt, nec tamen eod-  
em modo, Quidam enim Baptismum, Eucharistiam,  
& Pœnitentiam inter Sacramenta solummodo nume-  
rant: alij Pœnitentiæ loco Matrimonium, alij Ordina-  
tionem substituunt: quæ omnia fusiùs apud Bellarmi-  
num lib. 2. de Sac. c. 23. explicata reperiuntur. Verùm falsi-  
tas istorum dogmatum hæreticorum, & nostræ fidei Veri-  
tatis constat ex supradictorum conciliorum adeoque totius  
Ecclesiæ autoritate, quæ hunc septenarium Sacra-  
mentorum numerum definit, erroresque omnes oppo-  
sitos proscripsit: & plenius adhuc constabit ex iis quæ di-  
cenda sunt, cum de unoquoque Sacramento in particulari  
agetur.

Quod spectat ad necessitatem Sacramentorum novæ le-  
gis, certum est absolute loquendo, illorum institutionem  
ad salutem hominum non fuisse necessariam; cum Deus  
sine ullis Sacramentis, sive in statu naturæ lapsæ, sive in  
quocunque alio, potuerit per alia media homines ad sa-  
lutem consequendam efficaciter juvare: at verò supposita  
institutione Sacramentorum in statu naturæ lapsæ divi-  
nitus facta, dicendum est quædam Sacramenta necessaria  
esse necessitate mediæ, quædam solummodo necessitate  
præcepti; in quibusdam neutram reperiri necessitatem; in  
aliis utramque.

In primis enim Baptismi Sacramentum respectu infanti-  
um sola necessitate mediæ necessarium est, cum nullum aliud  
ad salutem consequendam medium ipsis superpetat. Idem  
etiam



eriam Baptismi sicut & Poenitentiae Sacramentum in te vel in voto susceptum, necessitate tum medij tum praeccepti necessarium est respectu ad ultimum, qui vel peccatum originale contraxerunt, vel post illud in Baptismo remissum, mortale aliquod actuale peccatum commiserunt.

Eucharistia quoad realem susceptionem, solius praeccepti necessitate necessaria est. Ordo & Matrimonium, quamvis ad bonum commune totius Ecclesiae maxime requirantur, ad salutem tamen uniuscujusque fidelium nullam, neque medij, neque praeccepti necessitatem inferunt.

Quomodo autem ista intelligi debeant, & quae sit etiam Confirmationis & Extremae Unctionis necessitas, in suis locis explicabitur.

### SECTIO VIII.

*Quis sit minister Sacramentorum nova legis, & quae in illo requirantur ad validam illorum administrationem.*

**S**UPPONIMVS ex S. Doctore q. 64. a. 3. Christum Dominum in Sacramentis dupliciter operari 1. quatenus Deus est, per potestatem supremam & omnimodam auctoritatis 2. quatenus homo est, per potestatem ministerij principalis, ratione cujus Sacramenta ipsa instituit, & ad eorum effectus concurrat, tum ut causa moralis & meritoria principalis, tum ut causa instrumentalis divinitati per unionem hypostaticam conjuncta: sicque primarius & praecipuus cujusque Sacramenti minister est ipse Christus Dominus: unde sancti Ioannis cap. 1. de illo dicitur: *hic est qui baptizat.* Hoc praesupposito.

Dicendum 1. Christum Dominum alios sub se Sacramentorum suorum ministros instituisse, qui quidem secundum legem ordinariam debent esse homines viatores. Ita S. Thomas; a. 7. & constat ex varijs scripturae testimoniis